



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Ozias, ob Sacerdotium vsurpatum, lepra percussus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

232 Cap. XXIII. Nona morb. causa, iustitia Dei in veteri Testamento, filijs, & vxoribus tuis, vniversaq; substantia tua. tu autem agrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Itaque & hostes ei Philistinos, Arabesque suscitavit Deus, qui terram Iuda vastauerunt, diripueruntq; cunctam substantiam, qua inuenta est in domo regis, insuper & filios eius. & uxores, & c. Et super hac omnia percussit eam Dominus alui languore insanabili. Cumq; diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tate, ita ut egeret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit. Utinam autem non etiam post vitam cruciatus fuisset continuatus & multiplicatus, iustissimo iudice vindictam tam atrocium scelerum in hac vita inchoante, atque in æternum supplicium propagante.

VI.

1. Paralip. 26.  
15.

Ozias, ob nimiam felicitatem elatus, sacerdotis sibi officium arrogavit, non dilata est pœna, inter adolendum plexus est. Quæ historia, quia eos erudit, qui adulatoriè permiscent officium Principis, cum officio Sacerdotis, dicentes, vnumquemque Principem, in ditione sua, posse disponere de religione & cultu diuino eiusque ceremonijs, ipsis Scripturæ verbis est apponenda. Ozias itaque pugnavit prosperè: egressumq; est nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. Sed cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusq; templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq; ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi restiterunt Regi, atq; dixerunt: Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino DEO. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cum respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsq; ad diem mortis sue, & habitauit in domo separata plenus lepra,

lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Videte igitur, magnates, quid mereamini, qui Parochis vestris, immò Episcopis vestris leges datis, mandata præscribitis, tamquam ipsi Episcopi essetis: videte, quid mercedis apud Deum mereamini. Si non vultis carpi morbis extra ordinem orituris, *Reddite qua sunt* Matth. 22. 21. *Cæsaris Cæsari, & qua sunt Dei Deo.*

Quod quia neque Antiochus fecit, non solum in ea mala VII. incidit, quæ supra recensui, sed etiam palam agnovit, cur in ea mala incidisset, dicens: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognovi ergo, quia præpterea inuenerunt me mala ista: & ecce perego tristitia magna in terra aliena. Cognovi peccatum suum, sicut & Iudas, qui dixit: Peccaui, tradens sanguinem innoxium, sed non cognouit ad veram poenitentiam. Neuter enim recurrit ad Dei misericordiam, ut oportebat. Etsi enim Antiochus orabat Dominum, tamen orabat eum, à quo non esset misericordiam consecuturus; quamuis desisteret admissa, & satis facturum se se promitteret. Quia, ut S. Augustinus respondet, *Nemo dignè poenitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ & fidei.* Igitur Antiochus non credebat ex animo in Deum Iudæorum, neque stituebat seruare religionem ab ipso præscriptam, sed tam speciosa promittebat tantum, ut posset euadere præsentem calamitatem. Quæ autem nos superius ex primo libro Machabæorum breuius narrata attulimus, in secundo libro enucleatius in hunc modum narrantur. *Elatu autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere: ideoq; iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, caelesti eum iudicio perurgente, eò quòd ita superbe locutus est, se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili & inuisibili plaga. Ut enim finiuit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormentum: & quidem satis iuste, quippe qui multis & nonis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, &**